

misericordiae vel potentiae, per quam quis sperat se obtinere gloriam sine meritis, vel veniam sine poenitentia. „

Praesumptio quandoque est mortalis ex toto genere suo, nempe quando, ex ipsa ratione qua concipitur, necessario haeresim vel blasphemiam involvit, ex. gr. si quis salutem propriis viribus obtinere praesumeret, quod Pelagianum est, vel divinum auxilium ad mala patranda speraret.

Saepe in praxi praesumptio levitatem materiae admittit. Ita si quis divinam misericordiam assumet ut motivum committendi peccata venialia, venialiter peccabit. Nec grave erit peccatum illius qui in aliquo periculo, sine oratione vel praeparatione, sperat auxilium quod Deus non promisit.

Cavendum ne peccatum praesumptionis censeatur ubi vel nullum vel aliud est. Sic non committit praesumptionem qui peccat, sperando *concomitanter* peccatum postea remissum iri, ex. gr. miles qui peccata multa admittit, confessionem rejiciens ad tempus quo militia functus fuerit. Hujus enim peccatum minuitur, quia per hoc videtur habere voluntatem minus firmatam ad peccandum. (S. Th. I. c. a. 2) At praesumptionem admittit is cui spes veniae obtinendae fieret *ratio* seu *motivum* peccandi, vel qui peccata auget quia Deus tam facile ignoscit decem quam quinque peccata. (S. Alph. I. 3. n. 21) Plerumque in peccatoribus totum motivum peccandi est in mala cupiditate, spes autem veniae est tantum occasio liberius peccandi dum majorem timorem removet: unde generatim non committunt illud speciale praesumptionis peccatum. (Ball. P. n. 56)

Nihil autem adversatur spei in dispositione illius qui pluries eadem peccata committit, quia tam facile in confessione plura peccata accusantur quam unum: dispositio tamen prava est. (Gury, I. n. 214)

209. Spei etiam directe adversatur **odium Dei**, non quo ipsi Deo in se malum aliquod homo velit (quod directe esset contra caritatem), sed quo se a Deo avertat, nolens in eo constituere felicitatem suam: quod certe peccatum ex genere suo gravissimum est.

Non peccant tamen graviter quicumque optant perpetuo in hoc mundo vivere. Hoc enim votum, cum sit de re manifeste impossibili, ab homine sanae mentis concipi non solet nisi per modum merae velleitatis, qua significet magnam affectionem erga praesentis vitae bona vel timorem mortis ob incertitudinem aeternae felicitatis. Non esset tale votum peccatum grave, nisi cum praeponebantur praesentia bona futuris ac possessioni Dei. (Lehm. I. n. 313)

SECTIO III. — DE CARITATE.

CAPUT I.

DE PRAECEPTO CARITATIS DEI.

210. NOTIONES. Caritas hic intellegitur virtus a Deo infusa qua Deum propter seipsum diligimus et proximum propter Deum. Quae definitio ut recte intellegatur, quaedam de natura amoris adjiciemus.

Distinguitur amor *concupiscentiae, benevolentiae et amicitiae*. Primus habetur in eo qui amat rem, ex. gr. domum, equum, non secundum se ipsam, sed ut inde bonum aliquod sibi proveniat. Secundus fovetur ab eo qui alterum ita amat ut ei bonum velit seu (quod idem est) eum amat propter se. Quodsi iste amor benevolentiae mutuus est, exurgit amicitia, quae ad amorem benevolentiae se habet sicut species ad genus.

Si amor cujuscumque rei cum alius rei amore comparatur, exsurgunt varii gradus tum appretiationis, tum intensitatis. *Appretiative summus* dicitur amor quo rem amatam reliquis omnibus intellectu et voluntate praeferamus. Hinc caritas Dei erit appretiative summa, si malimus omnia perdere potius quam Deum offendere. Haec tamen offensa intellegenda est tantum de peccato mortali: nam veniale peccatum stare potest cum amore Dei, ideoque non constituit nos in necessitate eligendi Deum inter et creaturam. *Intensive summus* est amor qui a nullo alio in affectu voluntatis superetur, unde etiam in sensum plerumque redundat. Caritas Dei, ut constituat illum actum qui omnium mandatorum maximo imperatur (Matth. XXII, 37) et a justificatione separari nequit, debet esse appretiative summa, ut per se liquet. Minime vero requiri ut eadem sit intensive summa, solent probare Dogmatici in tract. de Poenitentia vel de Virtutibus Theologicis.

211. Communis sententia Theologorum **formale objectum** seu motivum caritatis reponit in divina bonitate absoluta, qua nempe Deus est in seipso infinite perfectus. Quare, ut caritatis actum eliciamus, necesse est ut Deum amemus, sistendo in ejus bonitate, tamquam amicum cui bonum volumus. (Mazzella. de Virt. infusis n. 1229 seqq.) Quidam tamen, praesertim recentiores, ut D'Annib. II. n. 12, Ball. P. n. 6. seqq., opinantur idem objectum formale reponendum esse in bonitate divina, quacumque ratione spectetur, etiam respective seu prout est bona nobis. Quare

veram caritatem agnoscunt in actu amoris concupiscentiae quo Deum, ut perfectae beatitudinis nostrae objectum, appetimus. Sed vix apparet quomodo in hac sententia caritas non confundatur cum spe, quippe quae idem objectum formale habeat.

Illud certe cavendum ne actum caritatis plerisque hominibus difficillimum existimemus. Nequit enim etiam rudioribus et imperfectis, qui maximam humani generis partem efficiunt, moraliter impossibilis esse actus quem Deus ab omnibus poscit: siquidem omnibus, etiam peccatoribus, dedit praeceptum Eum super omnia diligendi. Insuper justis inest habitus caritatis, qui non ita aegre in actum prodire debet. Neque requiritur ut notiones satis subtiles, quas communis sententia in scientifica hujus actus explicatione adhibet, explicite a fidelibus apprehendantur. Sicut homines, etiam retusi ingenii, capaces sunt verae amicitiae erga homines illamque satis discernunt a mero amore concupiscentiae quo alios prosequuntur, quamvis distincte utriusque amoris discrimen minime percipiant, ita Deum vera caritate prosequi poterunt, quamvis hujus virtutis notionem confusam tantum habeant. Nam "perfectus amor est quo aliquis secundum se amatur, ut puta cum aliquis secundum se vult alicui bonum, sicut homo amat amicum." (2. 2. q. 17. a. 8) Quare, si quis propositis idoneis motivis (Vol. II. n. 269) conatus est caritatem in se excitare, non ita aegre existimare poterit se ad finem optatum pervenisse, si quando id necessarium foret, puta ad statum gratiae extra confessionem recuperandum. (Berardi, Prax. Conf. n. 194)

Praeterea ab alio errore cavendum: vid. ne amor divinae bonitatis propter seipsam ita exhibeatur quasi *excluderet* amorem concupiscentiae erga Deum. Hic enim illius initium est, quod cum amore benevolentiae nullatenus pugnat, neque a creatura sine aliqua injuria Dei rejici potest: cum per hanc exclusionem, indoli amicitiae prorsus contrariam, Ipsius consortium fastidiremus. Nihil ergo obstat quominus simul duo actus eliciantur: alter spei, quo Deum diligimus ut nobis bonum, alter caritatis, quo Deum diligimus ut bonum in se. (Mazzella, l. c. n. 1168) Hinc patet error recentioris Quietismi quo invehebatur status habitualis amoris Dei quocum nullus actus spei, utpote imperfectus et proprii commodi motivo mixtus, componi posset. Systematis expositionem videsis in 23 Propp. e scriptis Fenelonii excerptis et ab Innoc. XII damnatis. (Denz. n. 1193)

212. ASSERTA. I. Necessarius est omnibus de **necessitate medii habitus** caritatis infusus. *Actus* autem caritatis, qui sub V. T. prorsus necessarius erat ad justificationem et salutem assequendam, sub N. T. mansit hypotheticae necessarius iis qui sacramenta baptismi vel poenitentiae suscipere nequeunt, excepto martyrii casu; iis autem qui sacramenta illa recipiunt, sufficit attritio. Cfr. Vol. II. nn. 128 et 271.

II. De necessitate praecepti eadem fere hic dicenda sunt ac supra (n. 207) de obligatione eliciendi actum spei. Pauca tantum notabimus:

1^o Frustra laborarunt quicumque conati sunt determinare quoties fideles actum caritatis elicere per se teneantur. Huc spectat prop. 6^a ab Innoc. XI damnata: "Probabile est, ne singulis quidem rigore quinenniis, per se obligare praeceptum caritatis erga Deum." Neque ulla solida ratione nititur sententia quae placuit S. Alph. (l. 3. n. 8): saltem singulis mensibus hanc obligationem urgere. (Ball. P. n. 25) Ideo, potius quam incerta obligatio imponatur scrupulique injiciantur, hortandi sunt fideles ut saepe actum caritatis eliciant, et ad eum eliciendum juvandi sunt propositis motivis idoneis. Cfr. n. 211. Plerumque etiam fideles pie viventes facile huic obligationi satisfaciunt dum optant ut nemo Deum offendant, dolent de offensis per alios irrogatis, desiderant ut omnes Eum colant et, ut petere solent in Oratione Dominica, sanctificent nomen ejus, vitant peccata quia Ipsi displicent, etc. (Gury, I. n. 219) Actus enim impliciti hic etiam sufficiunt.

2^o Non probatur certo obligare per se hoc praeceptum in articulo mortis. Immo, etiamsi certa foret talis obligatio, imprudenter ageret confessarius qui moribundum ignorantem de ea moneret. (Lugo, de Poenit. disp. 7. n. 276) Utilissimum tamen erit hortari et juvare moribundos ut se actu caritatis vel perfectae contritionis ad mortem praeparent.

213. Praeter omissionem actus caritatis quando praecipitur, directe huic praecepto adversatur *odium inimicitiae* seu *malevolentiae* quo homo Deum prosequatur, ex. gr. optando ut Deus non sit, non habeat scientiam, potentiam, etc. Immo hoc peccatum omnium gravissimum est, cum directe sit contra ipsam divinitatem. (n. 160) Ad istud proxime accedit *odium abominationis* quo homo detestetur divina attributa, non quatenus in se sunt infinite amabilia, sed quatenus ipsi mala sunt, puta divinam omnipotentiam a qua peccatorum suorum ultionem timet.

CAPUT II.

DE PRAECEPTO CARITATIS PROXIMI.

214. Objectum *secundarium* caritatis complectitur nosmetipsos et proximos. Attamen de obligatione *nosmetipsos* diligendi non est quod hic agatur. Officia enim quae inde nascuntur pertinent ad curam salutis vel temporalis vel spiritualis. Priora explicabuntur ubi de quinto Dec. praecepto; posteriora conveniunt cum aliis obligationibus, ex. gr. orandi,